

Post hunc, Federicus Delfinus Mathematicus de fluxu eodem scripsit, et refluxu. Et Chrysogoni historiæ subscrispsit nihil de suo addidit in historia, addidit in causis, de quibus postea Iulius Cæsar Scaliger, Augustinus Cæsareus, Io. Maria Benedictus, Hieronimus Borrus, Annibal Raimundus, et plerique omnes qui de hoc æstu aliquid scripserunt, ab hac historia non recedunt. Neque ab ea recedunt nautæ, sed specialiora quædam addunt. Qui quoniam nova nomina ventis dederunt, in re nautica, nominibus nauticis, nobis quoque liceat uti. Qui igitur veteribus venti fuere, subsolamus, Circius, Aquilo, Caurus, ii nautis sunt, Levantes, Græcus, Tramontana, Mæstrus. Qui vero olim Eurus fuit, nunc est Siroccus, quam Auster Ostro, quam Africus, et Garbinus, qua denique Favonius, modo Ponentes appellatur, singulis his ventis diei naturalis, tres horas tribuunt nautæ. His notitiæ gratia positis, nautarum observationes perstringamus. Petrus igitur de Medina, docet. Tum mare incipere suum tumorem cum a Novilunio, Luna fuerit in Græco et in Grabino. Esse autem Lunam in Græco ante eius ortum horis tribus, et tunc mare in summo esse incremento. Tribus aliis ab ortu horis mare pergit decrescere, donec Luna in Siroccum venerit. Ex inde per tres horas intumescit. Et cum Luna ad meridianum, seu Ostrum pervenerit, erit mare in dimidio incremento, donec in Garbinum veniat usque ad summum, increset. Decrescere deinde incipit, donec per tres horas usque in Ponentem Luna descendet in dimidia mare erit diminutione. Et tribus horis aliis minui pergit. Et cum pervenit in Mæstrum in imo est decremento. Inde discedens per tres horas in tramontanam venit. Et mare tunc ad dimidium increvit. Tribus horis aliis, illa ad Græcum accedit, et mare in summo est tumore. Addit idem author, fluxum quotidie, quatuor horæ quintis partibus accessum suum postponere. Ita ut si hodie venit hora prima, cras veniet eadem hora prima, et quatuor quintis horæ sequentis, quatuor quinta, die qualibet, usque ad dies XXX addendo.

Nicolaus vero Sagrus, omnium ut videtur nautarum diligentissimus, addit. Die coniunctionis post mediam noctem horis tribus Luna erit in Græco. Et mare plenum. Die sequenti quatuor quinta postponet, ut in Græcum veniat. Et mare sit plenum. Atque ita singulis diebus, si quatuor quintas horæ partes addamus, mare erit plenum. Sed hæc tota historia, cum a Medina, tum a Sagro in mari Oceano tantum, et ab Herculeo freto, circa Hispanias et Gallica littora et Belgica, usque in Selandiam est observata. A Sagro quidem in hunc modum.

In die coniunctionis Lunæ cum Sole, post medianoctium hora una cum dimidia in freto Herculeo fluxus erit. Et a Tariffa quæ finis freti est ad dexteram in sinum voluendo usque ad Ruttam, eadem hora veniet. A Rutta ad caput S. Mariae accedet hora secunda cum quarto. A capite hoc, ad caput S. Vincentii, et ad dexteram flectendo toto Lusitano littore ad caput finis terræ, et inde ad Orientem per totam Cantabricam oram, et etiam Gallicam, usque ad regis insulam, tribus post medianoctium horis mare erit plenum. Ab hac usque ad insulam Hechas in mari medio ad decimum fere milliarium, quod nautæ vocant derotam, mare erit plenum hora tertia, cum tribus quartis. Sed in littoribus, hora quarta cum dimidia. Ad Hebas usque ad ingressum Canalis Anglii, a qua plena, hora quinta, et quarto uno in derotta. In littoribus hora sexta cum tribus quartis. Toto vero littore Normandico, usque ad Caletum, et Neuportum aqua plena hora nona. In derota horæ unius tribus quartis. In Canali vero medio hora duodecima in eadem Lunæ coniunctione. Horarum hæc varietas stuporem nobis incutit, qua ratione, in eodem mari, eodemque canali, eodemque coniunctionis tempore, aliter ad littora, aliter a littoribus miliari decimo, aliter medio in Canali accidat affluxus. Quo fit ut fluxus, qui sex horarum est tantum, ubi nona hora accedit in decem millium distantia, duabus horis cum quarto uno iam defluxerit. A Calete vero ad Gravelingen extra Canalem Anglicum, in derotta plenum sit post mediam noctem, una hora cum dimidia, qua plenum erat uti vidimus ad Ruttam, hæc in gradu longitudinis est nono, Gravelinge vero in gradu XXIII ut distent gradibus XV. Ab hac vero usque